Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Num. LXX. ANNI 1676. 1. SEPTEMBRIS.

1676

Visual Library

PUBLIC RECORD OFFICE

Num. LXX.

ORDINARIÆ RELATIONES

ANNI 1676. 1. SEPTEMBRIS.

Viennâ, 20. Augusti.

CHiliarcha Palfii speratsibi proximè danda diplomata nummosque ad conscribendam cataphractorum legionem, ideòque fortè in eius nimium debilitata legio desultoria aliis immiscebitur. Monachio confirmatur, Oratorem Cæsareum Comitem de Oettingen ab Electore habitum splendidè, promissasque nedùm copias aliquas, in Vngariam migraturas sed etiam copioso belli nervo beandas: eandem in Vngariam accersitur Generalis Copp cum phalange sua, quâ non indiget Elector Brandenburgicus par hosti in Germaniæ finibus domando immò radicitùs evellendo. Nuntiatur è Turcia, Imperatorem Ottomannicum ob accrescentia quotidiè rebellium periculosiora incendia, metumque, ne à plebe exacerbata privaretur vitâ crudeliter, in Oceanum se recepisse. Obsidentibus Philippopolim mandatum est, generali obsessos fatigare impetu, nisi sese gratiæ victorum victos obtulerint. In Polonia Magnatum animis nimium discrepantibus, Turcæ commodiorem occasionem nanciscuntur cogitandi nedùm, sed & debellandi Leimbergum Rusiæ. Cassaviâ ex Vngaria percepimus, Generalem Strasoldo, dum pabularetur cum omnibus Officialibus suis non procul ab *Onoth* in agro paludinoso diversas vias ingressis, improvisò rebelles offendisse multo copiosiores, vulneratum bis gladio ictumque inflictum ense, cæsis D. Galosto, & D. Sagitz, illo sup. Vigil. Præfecto, hoc equitum Magistro legionis Palfiæ, binis equitum Magistris totidemque Vicariis legionis Holiacæ, capto autem hujus sup. Vig. Magistro.

Parisiis, 21. Augusti.

VIdentes à longè Cæsarei approperaret structas in pontium suorum ruinam naves incendiarias, mox solverunt pontes, eosque renexuerunt utprimùm illæ transmeaverant: ad hoc genus stratagematis irritatus Princeps de Luxemburgh, captivitatis constrinxit vinculis D. de Laubarne & Majorem Langvedociæ, quos, stipulatis manibus se cum socijs in Philippopolim clam irrupturos promittendo, putârat sibi illusisse: pars Exercitus Luxemburgici dicitur tendere Treviros, cujus scopus latet: nondùm excogitare possumus methodum, quâ possit laborantibus succurri, suggerent fortè quatuordecim dies, quos sese Gubernator Philippopolensis propugnabit. Conspiratio Messanensis certis nuntijs confirmatur, referentibus, Majorem Civitatis dictæ agere Principem conspiratorum, quorum viginti & septè partim viri partim feminæ principes in vincula jam sunt conjecti. Rex litteris ad Genevenses exaratis petiit viduam Dni Gilacet Pharmacopolæ in carcerem detrudi, auctricem & Magistram venenosorum potuum, quibus D. de Brinvilliers ad homicidiorum suorum executionem fuit usa. Rex hesternâ lustrans in armis sclopetarios suos, exautorabat imbecilliores. Elector Bavariæ dicitur in favorem Imperatoris Romani Cæsareo Marti commissurus octo Bavarorum millia: hoc Rex accuratâ mentis trutinâ ponderans, inquiebat, dum bellum vehemens gerit Imperator Turcicus contrà Romanum, vix ullæ aut non magnæ mittuntur suppetiæ; nunc autem cum Rex Galliarum Germaniam impugnat, vix ullus est Principum & Electorum, qui non præbeat Cæsari suo manus auxiliatrices. Quos in Versaillesij recens Aula auspicata ludos & lætitiarum noctes, continuabit ad ipsâ S. Ludovici splendidissimè, quot noctibus septem millium librarum tædæ consumuntur. Rex jubet apparari vigesies mille pileos, totidem candentes tunicas totidemque paria caligarum purpurearum & circumquaque aureis exornari dentibus, quibus miles lateralis decorabitur.

Parisiis, 21. Augusti.

RVmores inquiunt, cùm Philippopolim Germanorum subjugatam viribus, tùm Rhenum in eam exundantiam excrevisse, ut obsidentes, rebus infectis, postliminiò cessuri: Rex, dum Gubernator vitâ defungeretur, Præfectum præsidii seu Commendantem jussit ejusdem muneri subrogari: Princeps de Luxemburgh indicavit, annonæ pabulique potissimùm penuriâ coactum sese cum castris in sup. Alsatiam revolare, relictis ruri multis infirmis, Germanorum rusticorum manibus ensibusque trucidatis, & reliquisse Hagenoæ numerosum præsidium cum ter mille & quingentis infirmantibus: miramur intereà Nancejensium insaniam, confirmantium, quingentos nostratium clandestino stratagemate Philippopolim ingressos, quorum ope totùm adminus Septembrim propugnaretur inexpugnabilis; cum contrà Princeps de Luxemburgh desperet de conservatione propter impossibilitatem intrudendi succursus. Quamvis multum æris in Sveciam hinc transportetur, nihilominùs infirmans & undiquaque lacessitus Mars Svecicus jacentes humi vires nequit erigere, nimiis etenim viribus magnisque progressibus Confederati in omnes Sveciæ limites victoriosè irrumpunt. Rex tribus in Flandria Marescallis mandavit, sine morâ maturandam esse solutionem obsidionis Trajectensis Exercitu viginti peditum totidemque equitum valente millibus, quibus resistendo impares erunt Princeps de Villa Hermosa & Comes de VValdeck cum copiis suis ascendentes Leodium, cum nostri quoque quadraginta & sex grandiores machinas curules post se trahant: de obsidione Trajectensi miramur disserimus, obsessos nostros inter proruptiones uti flagellis & falcibus, quas cruore suo conspergi præter morem & consvetudinem bellicam conquerentibus Hollandis respondit Gubernator, licere obsessis, quacunq; se possent, tueri methodo: calidissimos Solis æstus tantopere obsidentium castra urere, ut quilibet papilionum ultrà centum muscarum millibus obsideatur, & alia quamplurima, ita ut obsidentes minus nihilo in debellatione profecturos autumemus: dum fortè nihil expedirent Marescalli in depulsione Hollandorum, D. de Humiers actutùm auspicabitur obsidionem Cammeracensem accessis è Picardia ultrà bis mille mumeribus.

Argentorato, 25. Augusti.

GAlli nesciunt modum ulciscendi obstructas sibi quaquà vias, quod suppetiæ penetrare nequierint ad obsessos Philippopolenses: ager infelix & miser agricola est lapis offensionis, in quem pedes prædarum avidissimos & exscisionis studiosissimos allidunt. Princeps de Luxemburgh Landaviam inter & Sebulium, reductum à Cæsareis castris Exercitum suum nuper in armis recensens, deprehendit, ab exsiguo tempore, quo descenderat, duodecim facilè virorum millia tum fugâ aut fame, tum ensibus aut infirmitatibus subtracta; immò plures, inimicam dysenteriâ quotidiè delere: existimamus, eum cũ suis, quamprimùm renovatæ nonnihil & refocillatæ vires fuerint, in Lotharingiam iturum, numerosaque munitioribus Civitatibus relicturum præsidia. Dignitas

COPYRIGHT - NOT TO BE REPRODUCED PHOTOGRAPHICALLY WITHOUT PERMISSION

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen DFG

premi rei tormentariæ Præfecti, quâ non ita pridem defunctus Princeps Pio, inter ceteros procos soli Comiti de Stahrenbergh est desponsata. P. S. Exercitus Gallicus castra figet in Montibus propè *Ingweiler*, successum obsidionis Philippopolensis ibidem exploraturus: speramus spe certa nō minus ad Principem de Luxemburgh quam ad nos jamjam ferenda deditionis nuntia, cum universalis omnium insultûs aleam tentare nolit Gubernator, effluantque dies obsessis ad deliberandum indulti. *Hamburgo, 26. Augusti.*

HEbdomade hac Deputati nostri proficiscentur ad Electorem Brandenburgicum, salvi enim commeatûs allatæ litteræ spondent etiam felicem controversi negotii compositionem. Nunc confirmatur, copias Lunæburgicas & Monasteriensis è Diœcesi Bremensi movere, ob defectum nondùm solutorum tributorum instructas quibusdam obsidibus: tormenta Danica, hactenùs in solo Bremensi morata, Generalis Bauditz Gluckstadium revexit. Hasniâ confirmatur subjugatio castri *Landscron*, Gubernator enim generalis impetûs violentiam successumque bivium nolens experiri, maluit se dedere & cum præsidiariis sin Livoniam transvehi, quam cum præsentissimo interneciones periculo temerè propugnare perterebrata mœnia: Rex victor in castro illo reperit annonam spatio mensis à præsidio Svecico vix consumendam; & multa tormenta ærea, quorum aliqua fuerant Regis Friderici II. aliqua Christiani IV. alia Sigismundi Polonorum Regis: Christianopolis obsidebitur certo certiùs, paludes siquidem, quibus circumcincta, continuo solis ardore exsiccatæ viâ ad ipsa struunt mœnia. *Ex Tractu Albis, 26. Augusti.*

REx Daniæ victoriosos ita promovet progressus, ut navium mercatoriarum securitas nihil in altò detrimenti patiatur, In Hasnicum enim portum quotidiè plurimæ naves advehunt omnis generis merces & annonam ex ipsa etiam Hallandia & patentibus Svecico-Danicis Oceani portubus, Svecico præsidio exoneratis: Aula Danica Civitatibus Lubecensi & Rostockianæ præfixit certos mercandi cum Svecis limites; his explicatos articulis, 1. Lubecensia & Rostockiana navigia nullatenùs onerabuntur Svecicis subditis, Officialibus, facultatibus ad Svecos pertinentibus, siligine, tritico, hordeo, avenâ, ervillis, farinâ, quâcunque annonâ, potu, nervo bellico, armis, pulvere nitrato, incendiariis funibus, nitro, sulphure, ephippiis, quibuscunque equorum phaleris, sequis, malis, velis, rudentibus, & instrumentis quibuscunque ad naumachiam aut prœlium campestre & ad obsidionem civitatis tam terrâ quam mari necessariis: his non annumerabuntur sal, quodlibet vinum, nec Gallicum urens, zythus Rostockianus, tabacum, aromata, nobilior pannus, merces sericæ, chartæ, nec merces Norimbergicæ; 2. non in Sveciam transvehent Epibatas, milites, Officiales, aurum, argentum, pecuniam, nisi quâ nautâ in sul suorumque alimentum indiget, 3. priusquam naves illæ è Lubecensi & Rostockiano portubus provolabunt, fidelibus & juramentalibus *certificationibus* tam de nave quam de impositis mercibus, navisque cum ministris civibus & incolis memoratarum Civitatum instruentur, exarandis non solùm à Magistratu sed etiam à Danicis ibidem morantibus Oratoribus, 4. naves obviis Dan. bellicis, classi, aut navigiis eum in finem emissis monstrabunt certificationes & telonarias syngraphes, 5. si fortè navis Lubecensis aut Rostockiana prioribus prohibitis mercibus fuerit instructa & revolans è Svecia ad portum Svecicum non verò ad paternum cogitaret, nauta deprehensus arbitrariam gravissimam luet multam; ratis verò aut belli aut pacis tempore, ubi in Danorum manus Inciderit, Fisco Daniæ tradetur Irrestituibilis.

Ex Diœcesi Bremensi, 26. Augusti.

CVm adhuc sint omnia ad administrationem Stadiæ suæ necessaria serendaq; hoc è solo tributa, Princeps Cellensis ad Aulam suam brevi redibit: ejus Exercitus unitus copiis Guilpherbytanis *Wolffenbuttell* præter Monasteriensis valens quindecim armigerorum millibus, heri cepit movere, augendus aliquot cohortibus Prin. Hannoveriensis, quocū utpotè Confederatorum partibus addictiore nunc agitur de earundem transcriptione: turmæ Monasteriensis hac in Diœcesi tempus aliquod moratæ in solum Verdense migrant loco quater mille, qui ante dies aliquot illinc Mosam versùs abierunt: copiæ Lunæburgicæ per agros Osnabrugensis & Monasteriensis ad Rhenum cogitant. *Aquisgrano, 29. Augusti.*

HOllandi fecerunt ante biduum duos fruttrà impetus in propugnaculum Trajectense *Hornwerck* cum internecione multorum: alterâ die sub meridiem post irritos illos assultus cum decem millibus virorum roborati, audito, Gallos pro virili succursuros, Trajectum inter & Tongros In aciem confluebant unâ cum Confederatis, vim vi fracturi, magis autem & magis appropinquantibus Gallis, & diversis signis aliquotque tormentorum explosione Trajectensium Gubernatori præsentiam & adproximationem sub quintam vespertinam indicantibus; Hollandi sub nonam nocturnam solvebant obsidionem, & ponte suo sub decimam flammis ad candentem vulgò domum dissoluto, ab urbe hactenùs obsessa discedebant, relictâ copiosâ annonâ & duobus navigiis, quæ siligine gravida in profundum Mosæ præcipitatis: dato hoc aditu, ingressus est succursus Gallicus, quem curiosiorum multi comitati actas continuato aggere foveas conspexerunt, repereruntque superesse plurimum, quod vincendum fuisset ante subjugationem; aquæ siquidem in foveas obsessorum dexterè derivatæ tanta est profunditas, ut generalis omnium obsidentium impetus nondùm potuisset suscipi, quam vis omnia exteriorâ propugnacula ab Hollandis occupabātur: satentur rupturam mœnium fulminibus factam ad latitudinem ultrà centum pedum patere, ità ut facillimè penetrassent obsidentes; priusquam verò reserata fuisset ad fracturam via, debuisset plures priùs continuatis aggeribus foveæ erui: cives & incolæ armati ligonibus & bipaliis prorumpunt, omnesque suggestus & foveas obsidentium solo adæquant: Exercitus Hollandicus non procul abest à Trajecto, passimque è Tongrensi obsessorum porta conspicitur: cum aliqua impedimenta Hollandorum sese Mesacum receperint, numerosa Gallorum turma illa captum prodiit. Obsessorum nuper Ducum & Officialium nemo obsidionis tempore occubuit, unicus duntaxat Desultoriorum Chiliarcha cæsus De de la Bertise: D. Maqueline Vicarius regius ex accepto nuper vulnere convalescit: Domus vicinæ Silvæ-Ducensi portæ obsidentium telis sunt devastatæ, curia non paucis etiam est perterebrata globis: obsessorum creditur ter mille gregarios & viginti quatuor Centuriones, cùm neci datos, tum letaliter vulneratos: singulariora proximè. *Ex Tractu Rheni, 1. Septembris.*

DE Trajecto variæ sunt opiniones, hi immissum, illi succursum abstineri tuentur mordicus: potissimi in sententiam Immissarum suppetiarum descendunt, idq; factum putant beneficio ruricolæ Mesacensis, quasi bis mille equitibus, quibus totidem pedites assederant, certo in littore viam tranandi opportuniorem ceteris monstraverit: inter ceteras sufficiat hæc litterarum appendix, scribentis raptim: Galli 7000. virorum in Civitatem induxerunt, stantque cum castris 25000. virorum consentibus eis Mosam: Lunæburgici & ceteri Confederati, qui ab hac parte *Vlick* tenuerunt occlusum, maturè se receperunt trans Mosam ad Hollandos & Hispanos, suntque virium simul non contemnendarum: Princeps Auriacus anhelat ad prœlium, quod Galli detrectabunt, contenti, urbem jam liberatam.

Imprimebat PETRVS HILDEN S. C. M. P. R.

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen
DFG